



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 2. Quantitas & figura Britanniae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

## LIBER SECUNDVS.

*De Insulis Britannicis secundum veteres.*

RITANNICAS Antiqui vocauerunt Insulas illas omnes quæ supra Europam, in Septentrionem vergunt teste Plinio. Eas plerique veterum reuocauerunt in dubium; multi nouum orbem dixerunt: vnde Maro,

*Et penitus toto diuisos orbe Britannos.*

Et Claudianus: — *Nostro diducta Britannia mundo.*

Porro in tres partes commodè diuidi possunt: Albionem, Hiberniam, & Minores Insulas.

## CAPVT PRIMVM.

*De Albione.*

ITA dicitur Britannicarum maxima, de qua nobis octo consideranda sunt.

§. 1. *Nomina Britannia.*

*Primum*, Ortelius putat esse dictam CASSITERAM, vnde reliquæ *Cassiterides*, quoniam plumbi feraces erant.

*Secundum*, BRITANNIA: de cuius etymologia variaz opiniones: quarum certissima, eam deducit à voce Britannica *Breith*, quæ coloratum sonat, quia indigenæ sua corpora inficiebant *Glasto*.

*Tertium*, BRITANNIA MAIOR, quo vtitur in suo Almagesto Ptolemæus.

*Quartum*, ALBION vel ab Albione Neptuni filio, vel à Græco *ἄλφον*; quoniam candicantibus rupibus ferè vndequaue præcingitur.

§. 2. *Quantitas & figura Britannia.*

EAM Triquetram fecerunt omnes qui à Galliâ reuulsere, cui

Y

aliqui veterum eam alligabant, alij ab eâ separatam æstu maris credebant.

*Longitudo* eius Straboni est 4300. vel 4400. Stadiorum. Marciano Heracleotæ 5225. Cæsari 800. M. P. Solino 880. M. P. Xiphilino ex Dione 7132. Stadiorum. Diodoro Siculo 20000. Stadiorum.

*Latitudo* Plinio & Agrippæ 300. M. P. Xiphilino minima 300. Stadiorum, maxima 2310. Heracleotæ 3083. Cæsari D. M. P. Diodoro 7500. Stadiorum.

*Circuitus* Cæsari 2000. M. P. Pythææ & Isidoro apud Plinium 3825. M. P. Solino 4875. M. P. Diodoro 42500. Stadiorum.

### §. 3. *Qualitas Britannia.*

IN ea considerantur fertilitas, & merces.

**FERTILITAS.** Terra erat ad eò frugum ferax, vt tempore Iuliani Galliam & Germaniam penè alucrit; ita Zosimus & Marcellinus. Quamquam enim ex climate sit frigidior, nihilominus etiam veteres temperatiorem experti sunt; siue tepor existeret ex circumposito mari vt vult Minutius Felix, siue cum Tacito causam in humorem cæli, atque soli refundamus.

**MERCES** autem exportabantur ex Britannia.

1. *Metalla* omnis generis si æs eximias: hoc est Aurum, Argentum, Ferrum, & Stannum optimum.

2. *Pelles*, ob venationes in quibus toti erant indigenæ.

3. *Mancipia* proceræ staturæ, sed pedibus malè suffultis. Strabo.

4. *Canes venatici* quos *Agasseos* vocabant: qui etiam hodie teste Camdeno nomen retinent *Agasse-hound*.

5. *Gemmæ*, & *Margaritæ*, Indicis tantum inferiores. *Gagates* idem quem lithanthracem esse suspicatur Agricola.

### §. 4. *Mores Britannorum.*

CUM conflati essent ex multis populis qui aliàs in eam confluxerant, vt putat Tacitus, non est mirum diuersos in eis extitisse mores.

**VESTES** aut pelliceas gerebant, aut nullas. Inficiebant enim sua corpora vitreo colore, seu vitro, hoc est Glasto, vnde caru-